

D. EUSEBII HIERONYMI

Incomparabilis Ecclesiae Christi Doctoris, & eximiae sanctitatis viri

VITA.

Ex ipsius praesertim syngrammatis, e sanctorum item Augustini, Damasi, Gregorii, Gelasti, aliorumque aliquot collecta tractatibus.

BEATI Hieronymi vitam diversis auctoribus editam cum legissem: comperi eos inseruisse quaedam non magnopere ad ejus praecognitionem pertinentia. Rursumque opportuna plurima omisisse, & ea maxime quae ab eodem in suis tractatibus tradita, in ejus festo legi congrua videbantur. Inde ejusdem provocatus exemplo qui in divinis voluminibus ea quae ab antiquis translatoribus superflue edita fuerant, amputaverit: quae vero praetermissa tradidit, suis restituit locis. Tentavi & ego licet ut meritis ita & stylo longè impar, tam ex scriptis praefati auctoris, quam ex sacris aliorum sanctorum assertionibus ea quae congruere videbantur, excerpte, & qua conveniebat serie instruere, ut ex multis quasi unum corpus efficiens laborem eorum sublevare aliquatenus possem, qui ea quae de vita & virtutibus sancti viri per diversa digesta sunt volumina, habere sine taedio voluissent. In quo si temeritas reprehenditur, attendatur devotio quam ei non immeritò debeo: qui matrem meam cum me haberet in utero à mortis periculo liberavit. Praefatus igitur doctor pater Eusebio genitus est, sicut ipse in libro de viris illustribus astruit, vicesimo-sexto anno imperii magni Constantini in oppido Stridonis, quod à Gothis eversum Dalmatiae quondam, Pannoniaeque confinium fuit. Qui cum parentibus Christianis in pueritia Romam cum venisset, ubi vestem Christi suscepit, viris insignibus traditur instruendus. Nam in grammatica Donatum habuit praecceptorem, in Rhetorica Victorinum. Cum item liberalibus tam Graecè quam Latine polleret, probatissimorum monachorum habitum factumque imitatus est. Qui & per congruos Ecclesiasticos gradus ad Cardinalatus dignitatem conscendit. Nam factus annorum triginta-novem, à Liberio sedis Apostolicae praefule, Presbyter Ecclesiae Romanae tituli sanctae Anastasiae ordinatur. Sed cum idem Apostolicus post annos fere quatuor in apostaticum versus Ariano dogmati consensisset, multique se ob metum persecutionis quae à Constantio excitabatur, absconderent. Iste juxta sermonem propheticum, opposuit se murum pro domo Israel, ut staret in praesidio in die Domini. Nam licet afficeretur injuriis, terroribus pulsaretur: nunquam haereticis acquievit. Immo secundum datam sibi sapientiam eloquii sui sagittas emittens, dissipavit eos: & divinarum sententiarum fulgura multiplicans, conturbabat illos. Eodem autem tempore prohibebatur Catholicis liberè propriis rebus uti, dum eos & Constantius Augustus & Liberius Pontifex persequerentur. Tunc quaedam matrona Paula nomine, nobilis genere, sed nobilior

sanctitate, videns beatum Hieronymum in defensione fidei admodum viriliter laborantem, auxiliium cepit ei impendere, ac de suis facultatibus ministrare. Cujus devotionem & meritum vir prudentissimus intuens, frequenter eam & Eustochium ejus filiam in suis commemorat tractatibus. Curans etiam eas imbueret divinarum scientia scripturarum. Nam & affectuosius Paulam consolatus est scriptis de filiarum suarum, Blesilla scilicet, & Paulinae recenti obitu consternatam. Unde quidam pseudo-clerici ac monachi quorum scribens vitam deprehenderat, occasione delatrandi accepta, eum infamia subnotare miserimi homines conabantur. Et quia ipsi vitiiis subjacebant carnalibus, ad excusandas excusationes in peccatis, id ipsum Hieronymo imponebant. Denique isti vestem muliebrem propè lectum, qua se indueret surrecturus ad matutinas, imposuerunt. Ut ergo vidit Hieronymus, non minus se à falsis fratribus quam ab haereticis infestari, attendens illud Evangelicum: Si vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam: delibet cedere eorum malignitati, & ad Orientales regiones militaturus Domino commigrare. Quod quidem & Jacob in fratre suo Esau fecisse legitur, & David in focero suo Saül: quorum unus ad Syros, alius ad Philistaeos se contulit, malens hostibus quam invidis subjacere. Professionis autem suae de urbe ordinem ipse Ruffino scribens, sic narrat: Mense Augusto stantibus Zephyris cum Sancto Vincentio Presbytero & adolescentente fratre, & aliis monachis, qui nunc Jerosolymis commorantur, navim in Romano portu securus ascendi, maxima me sanctorum frequentia prosequente, veni Rhegium, in Scylleo litore paululum steti, ubi veteres didici fabulas, & praecipitem fallacis Ulyssis cursum, & Sirenarum cantica, & insatiabilem Charybdis voraginem. Cumque mihi accolae illius loci multa narrarent, darentque consilium ut non ad Protei columnas, sed ad Dione portum navigarem. Illum enim fugientium & turbatorum, hunc securi hominis esse cursum: malui per maleas & cycladas Cyprum pergere: ubi susceptus à venerabili Episcopo Epiphano, cujus tu in testimonio gloriaris. Veni postmodum Antiochiam, ubi fructus sum communionem pontificis confessorisque Paulini, & deductus ab eo media hyeme in gravissimo frigore, intravi Jerosolymam. Vidi multa miracula & quae prius ad me fama pertulerat, oculorum judicio comprobavi. Inde conscendi Aegyptum, lustravi monasteria Nitriae: & inter sanctorum choros, aspides latitare perpexi. Quis autem felicem non dixerit fugae hujus eventum, Christi quae providentia dispensatum, ut

scilicet Romana Ecclesia Petri instituta regimine, omnium etiam veteris & novi Testamenti librorum, desudante Hieronymo, Hebraicam & Graecam habeat certitudinem. Et quia quorundam Graecorum levitas, quod cunctas scripturas sibi divinitus inspiratas Romanos à se accepisse plaudabant, fecit ab insultatione desistere: Ideo Hieronymus locis venerabilibus supra dictis perlustratis, pergit Constantinopolim ad audiendum venerabilem virum Gregorium Nazianzenum praecceptorem suum tunc ejusdem urbis Episcopum, ut sanctorum Scripturarum erudiretur studiis. Quid verò de hujus viri indefesso studio & eleganti industria, quam circa Graecos, Latinos, Hebraeos, Syros, & Chaldaeos exhibuit in discendo, aliud nihil dici potest praestantius, quam quod ipse ad Pammachium & Oceanum missa profitentur vera dicentis: Dum essem juvenis, nimio discendi fervorem amore: nec juxta quorundam praesumptionem, ipse me docui. Apollinarem audivi Antiochiae frequenter & colui. Jam canis spargebatur caput, & magistrum potius, quam discipulum docebat. Perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum: in multis gratias ei ago, quia quod nescivi, didici: quod sciebam, illo docente non peridi. Putabant me homines finem fecisse discendi. Veni rursus Jerosolymam & Bethleem. Quo labore, quo pretio, Barrabanum nocturnum habui praecceptorem? Timebat enim Judaeos, & alterum mihi se exhibuit Nicodemum. Item ad Rusticum monachum: Dum essem juvenis, & solitudinis me deserta vallarent: incentiva vitiorum ardoremque naturae ferre non poteram: quem cum crebris juniis frangerem, mens tamen cogitationibus aestuabat. Ad quam edomandam cuidam fratri qui ex Hebraeis crederetur, me dedi in disciplinam: ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem: & stridentia, anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis: quoties desperaverim, quotiesque cessaverim: & contentione discendi rursus inceptum, testis est conscientia, tam mea qui passus sum, quam eorum qui mecum vitam duxerunt. Et gratias ago Domino: quod de amaro semine literarum, dulces fructus carpo. Et in prologo libri Job, quem videlicet librum ejus studio Latina lingua translatus expositumque promeruit: Memini me, inquit, ob intelligentiam hujus voluminis Judaeum quemdam in praecceptorem, qui apud Judaeos peritus habebatur, non parvis redemisse nummis. Porro ad scientiam linguae Chaldaicae quo labore pervenerim, idem de se Hieronymus ita in prologo Danielis enarrat: Ego adolescentulus post Quintiliani & Tullii lectionem ac flores rhetoricos, cum in lingua hujus pistrinum me reclusissem, & multo sudore multoque tempore vix coepissem anhelantia stridentiaque verba resonare: & quasi per cryptam ambulans, earum desuper lumen aspicerem, impegi novissime in Daniele: & tanto taedio affectus sum, ut desperatione sumpta omnem veterem laborem voluerim contemnere. Verum adhortante me Hebraeo, & illud sua lingua crebrius ingerente: Labor improbus omnia vincit: & qui mihi videbar sciolus, inter Hebraeos, ceppi rursus discipulus esse Chaldaicus. Et ut verius fatear, usque in praesentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere, &

intelligere, quam sonare.

Interea pergit in Syriam, & dum in possessione Evagrii Presbyteri moraretur, Malchum monachum & aliquando captivum reperit: percunctatusque eum: ordinem omnem captivitatis ejus accepit, & scripsit historiam. Cumque sanctos Monachos & Eremitas, eorumque humilia peragrans habitacula contemplantur, orationibus sine intermissione insistent, voluptatemque carnis quotidiano labore jejuniisque refrenans, plerosque bonorum meliores fore suo docuit instituto. Dum itaque his bonis adeo insisteret, ut scribendi etiam studium intermitteret: beatus Damascus Urbis Episcopus pro Ecclesiae utilitate sollicitus, ut ab assiduo scribendi opere non desisteret, hujuscemodi eum exhortatus est scriptis: Dilectissimo filio Hieronymo Damascus, Dormientem te, & longo jam tempore legentem potius quam scribentem, quaestione ad te missis excitare disposui. Non quòd & legere non debeas, hoc enim quasi quotidiano cibo alitur & pinguescit oratio: sed quo lectionis fructus sit iste, si scribas. Itaque quoniam pollicitus es te furtivis nocturnis operis aliqua si vellem posse dictare: libenter accipio ab offerente, quod rogare volueram, si negasses. Neque verò ullam puto digniorem disputationis nostrae consabulationem fore, quam si de scripturis sermocinemur inter nos: id est, ut ego interrogem, tu respondeas. Qua vita, in hac luce nihil puto jucundius, quo animae pabulo omnia mella superantur. Quam dulcia, inquit Propheta, gutturi meo eloquia tua: Super mel ori meo. Praecipuus orator inquit: Cum idcirco homines à bestiis differamus, quòd loqui possumus: qua laude dignus est, qui in ea re ceteros superat: in qua homines bestias antecellunt? Accingere igitur & mihi quae subiecta sunt, edisserere. Quid sibi vult quod in Genesi scriptum est: Omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exolvere. Si omnia fecit Deus bona valde, quare Noè de mundis & immundis praecipit: cum immundum nihil bonum esse possit? Cur Deus loquitur ad Abraham, quòd quarta progenie essent filii Israel de Aegypto reversuri, & postea Moyses scribit: Quinta autem progenie exierunt filii Israel de terra Aegypti? Cur Abraham fidei suae signum in circumcissione accepit? Cur Isaac vir justus non illi cui voluit, benedixit? De quibus omnibus beatus Hieronymus plenissime satisfecit: & quae subnotantur per diversa ejus tempora Damaso Papae inscripsit. Homilias scilicet in Canticum Cantorum. De Osianna, vulgò Osanna librum unum. De morte Osiæ, & de Seraphim & calculo candente librum unum; de prodigo filio, librum unum: de Spiritu sancto, librum unum. Textum quatuor Evangeliorum, scriptorum culpa confusum diligenter correxit. Sed & psalterium secundum vestigia Septuaginta interpretum de Graeco translatus in Latinum, id quod etiam Paula & Eustochio petentibus emendavit. Demum autem à Sophronio postulatus de Hebraeo expressit, eumque breviter librum disseruit, & Enchiridion appellavit. Per idem tempus scripsit vitam Pauli monachi, & vitam beati Hilarionis exhortatoriam ad contemptum mundi. ad Heliodorum Epistolam, & ad Neporianum de vita clericorum. Chronicum quoque omnimodae historiae, multasque alias ad diversos Epistolas. Porro humani generis inimicus, qui eum Romae per suos ministros fuerat persecu-

rus: etiam in solitudine, Arianos ei adversarios suscitavit: de quibus beato Damaso scribens, ita conqueritur: Ego Christi vestem in Romana urbe suscipiens, nunc Barbaro Syriae limite teneor. Verum, ut ait gentilis poeta: Caelum non animum mutat, qui trans mare currit. Ita me incessanter inimicus post tergum persecutus est, ut majora in solitudine bella nunc patiar. Hic enim praefidiis fulsa mundi rabies Ariana fremit. Hic in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere festinat, monachorum certa commanentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamabo: si quis Cathedralae Petri jungitur, mecum est. Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi haerere se dicunt, possem credere si hoc unus assereret: nunc autem duo mentiuntur aut omnes. De his etiam persecutionibus Malcho Chalchide reverendo viro in quadam Epistola sic proloquitur: si persecutoribus meis placet, haereticum me cum occidente, haereticum cum Aegypto, hoc est, cum Damaso Petroque condemnent. Si rivus tenuiter currit, non est alvei culpa, sed fontis. Nihil alicui praeipui, nihil otiosus accipio: manu quotidie & proprio sudore quarimus cibum, scientes ab Apostolo scriptum esse: Qui non operatur, non manducet. Placet eis ut hinc recedam, jam jam recedo, arripuerunt enim a me partem animae meae charissimos fratres. Ecce discedere cupiunt: imò discedunt, melius esse ducentes inter feras habitare, quam cum talibus Christianis. Ad deserta deinde loca sic latus accinctusque successit, ut volasse illum magis crederes, quam measse. Qualiter autem se affligendo noxias etiam in se cogitationes extinxerit, qualiter quoque visitationem Domini meruerit: ita ut saepe choris interesset angelicis, ipsiusmet Hieronymi ad Eustochium scripta testantur. Epistola sic incipit, Audi filia & vide. In qua inter alia sic dixit: Quia impossibile est, inquit, in sensum hominis non irruere motum, & medullarum calorem, ille tamen laudatur, ille praedicatur beatus, qui statim ut coeperit cogitare, interficit cogitatus & allidit eos ad petram: petra autem est Christus. Quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quae exusta solis ardoribus, horridum monachis praestat habitaculum: putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine plenus eram: horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Aethiopicam carnis obduxerat. Quotidie lachrymae, quotidie gemitus: & si quando repugnantem me somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa haerentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cum etiam languentes monachi ibi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego qui ob gehennam metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius & ferarum saepe choris intereram puellarum: pallebant ora jejuniis, & mens desiderii astuabat in frigido corpore, & ante hominem sicca jam carne praemortuum sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Jesu jacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam. Et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam. Non depudescio infelicitatis meae: quin potius plango me non esse quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebro junxisse cum nocte: nec prius a peccatoris cessasse verberibus, quam Domino imperan-

te rediret tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam quasi cogitationum mearum consciam pertimescebam. Et mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetraabam. scubi concava vallium, aspera montium, rupium praerupta cernebam: ibi mea orationis erat locus, ibi illud miserrimae carnis ergastulum collocabam. Et (ut mihi testis est ipse Deus) post multas lachrymas, post caelo oculos inharentes, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus angelorum, & laetus gaudens, cantabam: Post te, in odorem unguentorum tuorum currimus. Quadrienni itaque tempore sic exacto in praefata vasta solitudine, sentiens in se beatus Hieronymus omnem carnis voluptatem exultam, nihilque in ea esse, quod spiritui repugnaret: revertitur Hierosolimam, ut dirivaret fontes suos foras, & in plateis aquas scientiae suae divideret: ut de torrente linguae ejus multi vina biberent, qui hunc in deserto & in invio & inaquoso reperire vix possent. Accedens igitur ad ejusdem civitatis Episcopum Cyrillum nomine, perit ab eo, ut Bethlehem, quae in sexto sita est à Hierosolyma milliaro, contra meridianam plagam, locum sibi habitandi tribueret: optans scilicet, ut prudens animal praesepio Domini sui jugiter adherere. Cui mox quod devotè poposcit dignè concessum est. At ipse, favente Domino, monasterium construxit, ut ipse inquit in Epistola ad Pammachium, de morte Paulinae uxoris sub finem, in haec verba: Sic & nos in ista provincia aedificato & monasterio & diversorio propter exstructo, ne fortè & modo Joseph cum Maria Bethlehem veniens non inveniat hospitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruiamur monachorum, ut nec ceptum opus deserere, nec supra ferre valeamus. Unde quia penè nobis illud de Evangelio contigit, ut futura turris non antè computaremus expensas, compulsi sumus fratrem Paulinianum ad patriam mittere, ut semirutas villulas, quae barbarorum manus effugerunt, & parentum communium census venderet: ne ceptum sanctorum ministerium deserentes, risum maledicis & æmulis praebeamus. In quo quidem monasterio sub statuta ab Apostolis degens regula coepit, ut multum cupierat, cum illustri viro Eusebio Cremonensi, & cum aliis sanctis fratribus habitare. A quibus scilicet divino ministerio jugiter insudantibus hoc matutinale officium quod nunc observatur in occidentis maximè regionibus, canonica institutione primitum institutum est. Quod & Cassianus testatur, dicens: Matutinae solemnitatis officium novo adhuc tempore constitutum est primitum in Bethleemico monasterio, ubi Dominus noster Jesus Christus pro redemptione humani generis, ex virgine nasci dignatus est. Sicque ex illo per universum mundum consuetudo celebranda istius matutinae functionis invaluit. Quo quidem tempore beatus Papa Damasus, beato Hieronymo id officii componente, constituit, ut psalmi die noctique per omnes cantarentur Ecclesias: & subneckeretur in fine uniuscujusque hic hymnus: Gloria Patri; & Filio, & Spiritu sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in saecula saeculorum, amen. Plures itaque ad eum religiosorum, quibus vita & scientiae ejus fama innotuerat, confluebant: bonamque doctorem boni discipuli frequentantes in doctrina illius efficacia mirabantur. Erat enim adeo copiosus in ratione reddenda, ut undecumque interrogatus fuisset,

fuisset, paratum haberet & competens sine dilatione responsum. Modo humilibus suaviter blandiens, modo superborum colla confringens, modo derogatoribus suis vicem necessaria mordacitate rependens, modo virginitatem praedicans, modo matrimonia casta defendens, modo virtutum certamina gloriosa collaudans, modo lapsus in clericis sive monachis vehementer accusans. Qui etiam dum adhuc Romae suum titulum cardinalatus praesbyteratus in Ecclesia sanctae Anastasiae gubernaret, tres clericos nulla alia causa culpabiles, nisi quia inordinatè & in compositè incedebant, ab aspectu suo ac mensa continuo separavit. Incessus enim in compositus, evidens signum est, quoniam status interioris hominis male est ordinatus. Unde idem in vita sanctae Paulae: Per exteriorem, inquit, hominem, & interioris hominis vita demonstratur. Praeterea tanta linguarum peritia erat praeditus, ut quoscumque unius linguae libros in manus acciperet: hos in aliam linguam nihil cunctatus transcriberet, adeo ut crederes esse sic scriptum, ita hos ejus inoffensa velocitate fundebat. Unde & in derogationem aemulorum suorum quandam Epistolam sic conclusit: Nec lubricatiuncula haec tanta est ad lucernam lumen, claritate pertusa: ut vel notariorum manus lingua praerurreret. Per idem tempus ad Paulinum ex senatore praesbyterum mirificam praedestinavit Epistolam. In qua mysterium uniuscujusque libri tam veteris, quam novi Testamenti breviter, summamque perstrinxit. Quid enim non solum in divinis, sed etiam in mundanis literis Hieronymi sagacitatem latere potuit? Ex quibus scilicet mundanis necessitate quandoque cogebatur, non nihil suis immiscere tractatibus: ut probaret ea quae à sanctis Prophetis ante saecula praedicta sunt, tam Graecorum quam Latinorum & aliarum gentium literis contineri. Non enim credendum est id eo factum, quod libri Gentilium tantopere illius oblectarent mentem, cum prius aliquanto ad caeleste retractus examen, pro ejusmodi lectione poenas luisset divino ac salutariter verberis castigatus. Quod qualiter actum sit, in praedicta Epistola ad Eustochium legitur eodem Hieronymo sic inter alia referente: Dum ante etiam annos plurimos domo, parentibus, cognatis, & quod his difficilior est, consuetudine lautioris cibi propter caelorum me regna castrarem, & Hierosolimam militaturus pergerem, bibliotheca quam mihi Romae summo studio ac labore confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium, jejunabam post noctium crebras vigiliis, post lachrymas quae mihi praeteritorum peccatorum recordatione ex intimis visceribus fluebant. Plato sumebatur in manibus. Si quando in memetipso reversus prophetas legere coepissem, sermo horrebat incultus. Et quia lumen caecis oculis non videbam: non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dumque ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme quadragesima medullis infusa febris, corpus invasit exhaustum: & sine ulla requie, quod dictu quoque incredibile, sic infelicia membra depasta est, ut vix ossibus inhaererem. Interim parabantur exequia, & vitalis animae calor, toto jam frigescente corpore, in solo tantum tepente pectusculo palpitabat. Tunc subito raptus in spiritu, ad tribunal iudicis pertrahor: ubi tantum luminis erat ex circumstantium claritate, fulgoris: ut projectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus conditionem, Christianum me esse respondi. Et

Tom. V.

ille qui praesidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (nam caedi me iusserat) ego conscientiae magis igne torquebar, illum mecum versiculum repetens: In inferno autem quis confitebitur tibi? clamare tum coepi, & ejulans dicere: Miserere mei Domine, miserere mei. Haec vox inter flagella saepius resonabat. Tandem ad praesidentis genua provoluti, qui astiterant, precabantur ut veniam tribueret adolescentiae, & errori locum poenitentiae commo- daret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium literarum aliquando libros legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam majora promittere, dejerare coepi, & nomen ejus obstans dicere: Domine si unquam habuero codices saeculares, aut si legero, te negavi. Inter haec sacramenti verba dimissus, revertor à superis: & mirantibus cunctis oculos aperio, tanto lachrymarum imbre perfusus, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus saepe deludimur. Teste est tribunal illud, ante quod jacui. Judicium teste est, quod timui. Ultra mihi nunquam contingat in talem incidere quaestionem. Nam fateor vulneribus habuisse me plenas scapulas, plagas sensisse post somnium, & tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legeram. Post haec itaque cum quadam die sacras scripturas fratribus ex morte differeret, subito tribus claudicans, quarto suspensio pede claustra coenobii leo ingens ingreditur. Cumque fratres territi fugam arripissent, vir Dei veluti hospiti adventanti se obtulit: & intelligens plantam ejus à sentibus vulneratam, praecipit fratribus ut terrore deposito curam ipsius gererent. Quod cum sollicitè fieret, omni ferocitate deposita ita leo mansuetus efficitur: ut ei fratres iussu beati Hieronymi asinum quandam committerent, quem ob opere redeuntem in pascuis custodiret. Accidit interea una dierum, ut forporato leone negotiatores quidam qui Aegyptum adibant, videntes asinum solivagum incedentem, cupiditate victi, suo eum comitatu aggregaverunt. Expetactus autem leo cum commissam sibi bestiam minimè reperisset, confusus ad monasterium rediit: & quasi culpa conscius, commune receptaculum solus ingredi non audebat. Quod fratres una cum beato Hieronymo perpendentes, absentem asinum ab illo existimant devoratum. Nolentes tamen eum exasperare, abducti ei animalis opus injungunt: ut scilicet ea ferret onera quae prius asinus gestare consueverat. Nec mirum fratribus innocenter viventibus, leonem obsequium praebuisse, cum in testimonium primae creationis legamus viris sanctis Deo humiliter famulantibus & leones & volatilia ministrasse, & ictus cessasse ferarum, & venenum non nocuisse, serpentum. Ita cum leo injunctum sibi opus indefinenter exequitur, die quadam de sublimi prospiciens praefatos viatores, vidit eminens venientes, & cum camelis eorum suum illum comitem. Mox quasi deprehensis hostibus, immane rugiens, & contra eos vehementer insiliens homines in diversa disperfit. Camelos autem onustos una cum asino cogens, ad claustrum portam perduxit. Mirati fratres cum haec retulissent beato Hieronymo, iussit ille depositis oneribus camelorum pedes ablui, eisque pabula apponi, atque adventantibus hospitibus convivium praeparari. Et ecce illi continuo venientes, ad sancti patris vestigia se prostraverunt, de

B